B. N. C.
FIRENZE
1114
13

1114 13

RESPONSIO

VRENTII STELLANI

PATRITII ROMANI

AD EXPOSTVLATIONEM FRANCISCI VIETAE

Aduerſus Chriſtophorum Clauium.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ROMAE,
Apud Aloyſium Zannettum. 1603.
SVPERIORVM PERMISSV.

1114.13

RESPONSIO VRENTII CASTELLANI PATRITII ROMANI

Ad Expoſtulationem Franciſci Vietæ aduerſus Chriſtophorum Clauium.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

FRANCISCVS VIETA *audacter ſane, ſuum quoddam Calendarium cum toti mundo pro Gregoriano vellet obtrudere, cum diplomate Gregoriano, nullius hominis ad id auctoritate quæſita, euulgauit. Vt vero accepit, Chriſtophorum Clauium, virum & doctrina, & pietate inſignem, in ſua declaratione Calendarij Gregoriani palam omnibus facere velle, quæ ex eius commentis abſurda conſequantur: ſiue vt Clauium deterreret ab incepto, ſiue quod ſolidam, & firmam rationem concutiendo, ſua figmenta ſperaret poſſe fulciri; Expoſtulationem aduerſus illum indigniſſimam edidit. Mihi quidem nihil agere aliud videtur, quam vt Calendarij Gregoriani auctoritatem funditus tollat. Idcirco primum quidem; opus in quo viri præſtantiſſimi ex toto prope terrarum orbe aduocati, totum ferme decennium laborarunt, Pontificia auctoritate approbatum, ab omnibus iam Populis receptum, vni Clauio adſcribit: magnam quidem laudem, ſi hac ille indigeret. Deinde vt Calendarium euertat, Clauij auctoritatem labefactare conatur. Hanc igitur ego Expoſt*

lationem vt legi, ſtomachatus ſum, nec facere potui illius capita reſponderem; non ſolum quia id à me r[illegible] phorum Clauium magiſtrum meum obſeruantia p[illegible] ne, quia videbam rem ad mores Chriſtianos, & pac[illegible] tinere. Quis enim ferat viro maximè pio, deque bono me merito adeo acerbe, eoque conſilio obtrectari, vt eiu[illegible] ctoritatis in detrimentum, & Religionis, & publicæ v[illegible] tus ced[illegible] Quod ſi quid in Calendario Liliano Vieta habuit, quod non probaret, proferre tum debuit, cum à Gregorio xiij. ad Chriſtianos Principes, ac ſimul ad Henricum iij. Galliarum Regem miſſum eſt, vt à ſuis Mathematicis inſpici, expendique iuberent, illudque reciperent, niſi meliora ipſi attuliſſent. Cur nunc tandem exiſtit, cum 20. annorum vſu, tam longè lateque ſparſum eſt, tamque altas egit radices? atqui ſi vel nunc tandem aliquid didicit, quod ſolus ſcire non poteſt, cur non bene agit, vt par eſt bonoſ?yſque ad quos ea ſpectat, expendere, & comprobare, proponit? Sed repente ſuis commentis Calendarij vere Gregoriani nomen imponit, & Gregorianum diploma præfigit? Verum, quam multa ex illo eius pſeudocalendario abſurda conſequantur, apertiſſime Clauius oſtendit. Ego, vt dixi, ad Expoſtulationem reſpondebo, & ipſam totam interſeram. Certus enim ſum non tam ex mea reſponſione, quam ex ipſamet Expoſtulatione compertum omnibus fore, V ıetam hac in re nullius duci ſtudio bonæ rei. Atque vt à reſponſione diſtinguatur, maioribus characteribus Expoſtulationis verba figurabo. Sic igitur exorditur.

Accuſaui iamdudum Chriſtophorum Clauium

Vere ne ait Vieta, Chriſtophorũ Clauium à ſe accuſatum? ſi enim reuera accuſauit, primum debuit dicere, apud quos accuſarit, & quando. deinde num recepta accuſatio ſit: præterea cur ferant Principes eum, qui reus eſt, contra diuinum, humanumque ius facere. Sin autem nulla fuit accuſatio legitima, imo vero nulla fuit omnino, quid opus fuit inferius & Canonem, & Rubricam citare? Vieta qui profitetur à ſe cæleſtium motus orbium optime conciliatos, explicet qua ratione ſua hæc pauca verba conueniant; vtque illic Calendarium nouum, ita nouam hic Dialecticam cudat, ſi placet.

De corrupto Calendario Romano.

Grauiſſimum ſane crimen eſt, id corrumpere, quod vt ſyncerum conſer-

conſeruaretur, tantopere ſemper à ſummis Pontificibus & Concilijs, & vniuerſa Catholica Eccleſia laboratum eſt, ac merito laboratum: ſi enim Calendarium vitioſum eſt, & humanarum, & diuinarum rerum ordo, & tempeſtiuitas perturbatur. Sed huiuſmodi crimen Calendarij Romani corrupti, in Clauium, an in Vietam cadat, ipſa Calendarij explicatio demonſtrat. En autem vt Clauio tribuit confectionem Calendarij Gregoriani. Quamuis enim vnius Clauij nomine ſapientes omnes, qui in eo conficiendo deſudauere, & Principes omnes, ac populos, qui recepere, accuſet ac damnet; neque id ipſe ignoret: tutius tamen, ac certius putat à ſe omnes pariter vulneratum iri, ſi ictum in vnum intendat.

Quam enim diuinum, & auguſtum eſt Gregorianum de anni reſtitutione diploma, tam profana, & infelix eſt Gregoriani diplomatis Clauiana executio, defenſioque.

Ergo cum Clauius Calendarium corrupiſſet, Gregorius xiij. P.M. diuinum auguſtumque diploma condidit, quo Calendarium illud corruptum à Clauio Eccleſiæ vniuerſæ proponeret amplectendum. An id auſus eſt Clauius, quod Vieta? & Pontificium diploma, inſcio Pontifice, Calendario à ſe corrupto præfixit? & felicior in malo facinore fuit Clauius, quam Vieta in bono? qui in Curiæ totius, totque excellentium Aſtronomorum, qui vndequaque accerſiti fuerant, & ipſiuſmet Gregorij oculis, cum diuinum auguſtumque diploma corrupto Calendario præpoſuit, aſſequutus eſt, vt orbem terrarum vniuerſum, vrbem refertiſſimam & curioſis, & acribus inſpectoribus, ipſum Pontificem cautiſſimum, & oculatiſſimum lateret: quod nunc aſſequi tam longe poſitus, tam omnibus alia agentibus, in correcto à ſe Calendario, vt ait, Franciſcus Vieta non potuit? Num diploma illud Gregorius in incertum condebat: & olim quandoque naſciturum Calendarium comprobabat? ac veluti ſubſcriptam paginam Vietæ tradebat, vt poſt tam multos Pontifices, viuo & Dei Eccleſiam ſanctiſsime feliciſſimeque adminiſtrante Clemente, & plurima ad priſtinam pietatis normam emendante, ipſo plane inſcio, Gregorius quidam Vieta in Gallijs Calendarium emendaret? O Mathematicum hominem, qui hæc qualia ſint, vel non videt, vel putat quemquam hominum ſanum fore, qui non videat.

Soſigene vſus erat Gregorius Aloyſio Lilio, cuius fato præcepti aduerſaria cum non intelligeret Clauius, deprauauit miſerè,& in contemptæ Religionis crimen incidere maluit, quocumque periculo ſubuerſurus omnia, quam rerum imperitus videri.

Qui nam, rogo, ſunt famoſi libelli, ſi hæc Expoſtulatio eſt? Sed hic bonus vir ſemper ibidem hæret: quo facilius Calendarij Gregoriani auctoritatem euertat, eius compoſitionem totam Clauio affingit. Verum licet ipſe diſſimulet ſcire ſe, qui viri ad illud opus operam contulerint, non idcirco alij ignorant. Notiſſimum enim eſt, & memoria adhuc ſuperſtitum, & literarum monumentis celebre, interfuiſſe correctioni Calendarij permultos, & præſtantiſſimos Mathematicos, ac præ cæteris interfuit Antonius Lilius rerũ Mathematicarũ egregie peritus, Aloyſij frater germanus, qui inde vſque ab initio fratrem in conſcribendo eo libello adiuuerat: nihilo minus mentis Aloyſij hac in re conſcius, quam ipſemet Aloyſius. Itaque cum ijs conſultationibus, quæ de correctione anni habebantur, is & permulti alij intereſſent: ſi quæ Clauius in Aloyſij aduerſarijs nõ intellexiſſet, explicare poterant: nec paſſuri vllo modo erant, (niſi eos aut plane impios Vieta, aut ſtipites putet) ab vno homine ad imperitiam ſuam obtegendam ſubuerti omnia. Quamquàm facile eſt animaduertere, Clauius ne, qui vſum Eccleſiæ antiquum retinens, tantum ea explicat, quæ in hominum doctiſſimorum conſeſſu decreta fuere, & Pontificia Gregorius auctoritate ſanciuit: an Vieta ſubuertat omnia, qui inauditum anni principium, & alia noua inducens ſuæ temeritati quocunque periculo à Gregoriano diplomate patrocinium quærit.

De ipſius in Mathematicis rebus, & Theologicis peritia, vel imperitia, nihil ad me attinet pronunciare. Pronunciabo, neque perperam, ſi neceſſe habuero. Sed qualiſcumque ſit Mathematicus, falſam periodum Lunarem induxit ad Epactarum æquationem.

Extant multa Clauij opera, quæ qualis eius doctrina ſit, oſtēdunt. Pronunciet idipſum quantumlibet Vieta, dummodo pro ſua dignitate, non perperam. Nam hic quidem dum comminatur, olim ſe, ſi neceſſe habuerit, non perperam pronunciaturum, interim cum nullo mo

do nec

do nec neceſſarium, nec æquum ſit, perperam pronunciat. Non enim falſa eſt ea Lunaris periodus, neque Clauius induxit, ſed à Ptolemæo, Alphonſo, Copernico, & alijs accepit, quod Mathematicus excellens ignorare non debuit. Sed more inſtitutoque ſuo Vieta, quæ bona ſunt, à ſe facilius, in Clauium deriuata, quam in ſuis fontibus, vitiari putat poſſe.

Synodos in panſelenis, aliquando collocaturus, & panſelenos in Synodis. Quod ſi quomodo eſt errare, eſt abs paroemia τὸ παράπαν τῆς ὁδοῦ cum panſeleni mediæ medijs ſynodis opponantur ex diametro οὐ ψευδωνύμως.

Iam diu antequam Vietæ liber exiret, optime vidit Clauius incommodum illud in æquatione Epactarum Liliana contingere, quod non ob periodum lunarem accidit, vt falſo criminatur, cum ea periodus veterum Aſtronomorum ſit, & quam etiam ipſemet Vieta vſurpat. Verum id incommodum tandem futurum eſt poſt longiſſimum tempus: ſimulque rationem præſcripſit Clauius, qua illi ſit occurrendum, æquationemque Lilij correxit. At Vieta in idem plane incurrit, nec ſentit errare ſe τὸ παράπαν τῆς ὁδοῦ, nec remedium vllum affert: immo vero cum parœmias norit, non veretur alienis offendi verrucis, qui propria habet tubera, aut, ne illud in ſe conijciatur, ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Et qualiſcumque ſit Theologus, profanum anni ad ſolemnia principum adſumpſit, ex quo ſequuta eſt abſurda Epactarum ordinatio, & iniqua, & prodigioſa menſium partitio, Neomenia Paſchali ab alijs legem accipiente, ἄνω ποταμῶν ἱερῶν. cum vera Theologia à verbo Dei, & Beatis Patribus accepta, non etiam, vt Adiaphoriſtæ cenſent, Hebræa, & ſuperſtitioſa, eo ipſomet adſertore, doceat menſium primum eſſe Niſan dignitate; & ab eo renouanda anni ſolennia, ac idipſum Ethnicæ religionis cultores in ſuis peragendis ſacrorum ritibus ſuboluiſſe, non ſine magno veræ religionis noſtræ myſterio, quod nefas fuit contempſiſſe.

Principium anni, quo nunc Eccleſia vtitur, profanum nec debet

dici,

dici, nec eſt. Illud enim eſt, quo poſt Nicænum Concilium vſa eſt ſemper: exque eo recte in Calendario Epactæ ordinatæ ſunt: neque vllam ſiue iniquam, ſiue prodigioſam partitionem Gregorius xiij. approbauit. Neque Collegium illud doctiſſimorum hominum, qui ad anni reſtitutionem coniuncta opera, & induſtria feliciter collaborarunt, contempſit primi menſis paſchalis ab 8. die Martij inceptionē, cum id optime noſſet à Nicænis Patribus, quos duces ſequebatur, obſeruatum. Sed inde Cycli ordinationem incboare noluit, quia nulla neceſſitas poſtulabat. Et illi ipſi Nicæni Patres hoc contempſere, cum diei 8. Martij non aureum numerum 1. ſed 16. adſcripſerint; præſertim cum Cyclus à qualibet Epacta incipere poſſit, ac proinde etiam à xxiij. diei 8. Martij aſcripta in Calendario Gregoriano. Quid eſt autem tot ſeculis ex vno deductum fonte annorum curſum nunc aliunde euocare, niſi ad antiquitatis contumeliam ἄνω τοὺς ποταμοὺς, vel quod item non licet, fluminis alueum detorquere?

Ergo falſæ periodo Lunari Clauianæ veram, ac vere Lilianam, & Gregorianam oppoſui.

Periodus illa, vt dixi, nec eſt falſa, nec Clauij, quam Lilius quoque recepit, & Gregorius cōfirmauit. Immo, neque Franciſcus Vieta aliā periodum lunarem agnoſcit; vt mirum ſanè ſit, hunc Correctorem aſſerere, ſe Periodo Lunari Clauianæ, hoc eſt, ei, qua ipſe quoque vtitur, veram, ac vere Lilianam, & Gregorianam oppoſuiſſe. At is non periodo lunari aliam periodum, ſed ſolum Calendario Gregoriano falſum ac vere Vietæum oppoſuit, qua in re, non ſolum eſt Mathematicus excellēs, verum etiam pluſquam diuinus. Qui enim nec Lilium nouit, nec Gregorio cognitus vnquam fuit, Lilianum tamen, & Gregorianum Calendarium cum principio anni nouo, quod neuter vnquam ſomniauit, in lucem protulit: vt vere vterque poſſet dicere, ὡς πολλά μου κατεψεύδετο;

Et profano anni aſſumpto principio, principium à Patribus Nicænis ex lege Dei præfinitum.

De anni etiam principio ſatis dixi: quod profanum Vieta nec debet dicere, nec putare; ſi ita nominare & exiſtimare vult, vt ſancta Eccleſia Catholica exiſtimat, & nominat; quæ eo ſemper eſt vſa,

*vſa,& à profanis ſuo ſancto vſu ſecernit, & hic etiam illud è ſacris locum habet,*quod Deus purificauit,tu commune ne dixeris. *Nec ipſe principium à* Nicænis *Patribus, ex Dei lege præfinitum inducit,ſed nouum inauditumque in* Eccleſia, *quod nuper ex ſui* Computi *lege confinxit,* ἐκτὸς λεωφόρου βαδίζων.

Ex quo ſequuta eſt conſentanea Epactarum ordinatio, ac recta, & æqua menſium partitio, Neomenia paſchali cyclum inchoante, & ab ea reliquis anni Neomenijs legem, vt decebat,ſecundum diuina Patrũ decreta,accipientibus.

Atqui liber Explicationis Calendarij docet,quam diſſona Epactarum ordinatio ex initio anni Vietæ nouo oriatur. Quod ſi adeo certus eſt, vt præſe fert,de ſua recta Epactarum ordinatione, quid timet Clauij refutationem? Qui videt planè à ſe quippiam demonſtratum, contra ſentientium, ac diſputantium argumenta etiam amat. Parcius igitur & ſe iactet, & aliorum nomini detrahat maledictis. nihil veritate robuſtius,atque adeo ſecurius.ipſa ſe prodet,ac tuebitur.

Prolato ea de re libello, & auctoritate regia ſummo Pontifici exhibito, ſub titulo relationis Calendarij vere Gregoriani ad Eccleſiaſticos Doctores, quorum iudicio, & cenſuræ me,meumque ſcriptum ſubmiſi.

Hic multa ſunt, quæ Vieta,vt opinor,ſi reuocari facta, ac dicta poſſent,nec facta,nec dicta vellet. Quæ enim erant partes hominis prudentis, ac pij, ſi quid ſuper Calendario haberet, quod in commune proferendum putaret? tum maximè, cum omnes Catholici in Calendario iam reſtituto acquieſcerent,& illud vere Gregorianum,vt eſt, putarent? Nonne *prius ſua conſilia debuit aperire Pontifici, quam vllo ea titulo notare? Dum Pontifex ea cognoſci, & examinari iubet diligenter, ac diu,vt decet, in re tanta poſt correctionem adeo recentem,ne Pontificijs decretis vlla poſſet leuitatis inhærere ſuſpicio,nonne expectare conſenſum Pontificis debuit, antequam imprimeret? Eſto hic errauit,quid deinde? Ait exhibitum libellum fuiſſe Pontifici. fac exhibitum fuiſſe, nonne dum Pontifex reſponderet, interim contineret cæteros? Si quid erat noui moliendum, neceſſe erat Calendarium,quo nunc* Eccleſia *vtitur, abrogare,approbari Vietæum, ac*

promulgari, vt perturbatio nulla eſſet. Atqui Vieta non modo antequam eius libellus ad manus, ſed omnino antequam eius conſiliorum vllus rumor ad aures Pontificis perueniat, nouum Calendarium cudit; titulo Calendarij vere Gregoriani inſcribit, imprimit, atque euulgat, & Gregorij diplomate armat. Qui ſic agit, videturne ſe Doctorũ Eccleſiaſticorũ iudicio, ac cenſuræ ſubmittere? Percommode etiam id appellat ſcriptum, quod impreſſerat: vt ſi vellet ſupprimere, non poſſet. nonne hoc eſt Pontificem ludere, & omnia perturbare? vt duo Calendaria in Eccleſia inter ſe valde diſcrepantia & contraria, & vtrunque cum Pontificio diplomate circumferatur? Vtrum ſequentur fideles? Gregorianum, an (vt ait hic) vere Gregorianum? Quid eſt vere Gregorianum? Illud ergo, quod Eccleſiæ à Gregorio propoſitum eſt, & quo vſa eſt adhuc Eccleſia, hodieque vtitur, eſt falſo Gregorianum? Stultiſſimus igitur Gregorius, cæci qui conſequuti Pontifices, & ſelectiſſimi illi Mathematici falſi, & fraudulenti; cuncti mortales, præter Vietam, σκιαὶ ἀΐσσουσι. Denique quæro ex Vieta, qui cum citet leges, & canones, non ignorabit, quod ſit iudicium in eos conſtitutum, qui Pontificias literas ſupponunt, quid interſit inter eius crimen, qui falſum diploma ſubijciat, atque eius, qui vero abutatur, ad ſuam voluntatem, inſcio, inuitoque Pontifice.

Non autem erat æquum indicta cauſa reum condemnari.

Poſtquam emiſſus liber in vulgus eſt, ſi condemnatur, numquam is indicta cauſa condemnatur. Ipſe enim cauſam & pro ſe, & quod hic homo nollet) contra ſe dicit: idem ſui patronus, & accuſator; idem teſtis vtramque in partem.

Itaque libelli mei copia facta Clauio à biennio eſt.

Et quidem impreſſi bonis characteribus, cum titulo Calendarij verè Gregoriani, & cum Gregoriano diplomate, quod vt vidit, exhorruit: quamquam non à biennio, vt Vieta ait, ſed paucis ante menſibus copia facta eſt.

Quæ igitur Clauij partes erant æqui iudices?

Pronunciate quiqui eſtis æqui Iudices; Clauij, qui Clementis 8. iuſſu explicationem Calendarij veri, vereque Gregoriani ſcribebat, quæ partes erant in cauſa, (vt Vieta optime nouit) publica, in qua de my-

de myſterijs noſtræ religionis agitur, & Reipublicæ Chriſtianæ concordia, & diuina ſummi Pontificis auctoritate? Nonne ſi quæ Calendaria aliunde exiſterent, honeſta facie Gregoriano Gregorij auctoritate aduerſantia, ijs perſonam detrahere? eorum errores coarguere, ac proferre in lucem? Pontificiam auctoritatem defendere? nec Gregorio mortuo, nec Clementi feliciſſime viuo, nec cætui fidelium vniuerſo ſinere imponi? conniti denique, quantum in ſe eſſet, vt pax publica, ritus antiqui Eccleſiæ nullo modo conuellerentur? Hæ egregij & Mathematici, & viri partes, id eſt, Clauij erant: & quidem præſtitit plus aliquanto, quam Vieta gratum habeat. ſed hunc commune bonum dolori ſuo præponere æquum eſt, ſibique duntaxat iraſci, qui inconſideratius abripi ſe eſt paſſus: Clauio etiam gratias agere, qui dedit operam, vt eius peccatum quàm minime noxium eſſet.

Suumne errorem vltro adgnoſcere, & confiteri, in cauſa præſertim publica, in qua de Myſterijs noſtræ Religionis agitur, & Reipublicæ Chriſtianæ concordia, & diuina ſupremi Pontificis auctoritate? Id quidem ab homine Theologo è Societate Ieſu, ὡς ἱερῶν τὴν τέχνην καὶ τὰ ἤθη ſperandum maxime videbatur.

Quem quæſo errorem Clauius agnoſceret ſuum? Multa edidit in lucem, ſi qua in re non collimauit, gratiam certiori ingenio habebit. Calendarium Clauij quis vidit? Extat eius quidem Apologia pro Calẽdario Gregoriano contra Mæſtlinum Hæreticum; & Caſtigatio in Ioſephi Scaligeri Caſtigationem. In his vbi attulit ſua, ſi quid minus recte docuit, doceat Vieta; & vltro agnoſcet Clauius errorem ſuum. Deſinat tamen Gregorianum Calendarium, quaſi Clauij eſſet, exagitare: memineritque religionis, concordiæ publicæ, Pontificiæ auctoritatis. Verum (vt ſæpius dixi) intelligit homo cuiuscuius rei cupidus, obtrudi Vietæum non poſſe Calendarium, niſi Gregorianum extrudatur. Palam cum Gregorio pugnare non audet, videtur tamen ſperare, vulnerari poſſe Pontificem per Clauij latus.

Sed quocumque res euadat, vix eo adducimur, vt condemnemus noſtra, probemus autem aliena. Rapimur omnes φιλαυτίᾳ quantamcumque ſimulemus ſanctitatem, & qua poſſumus arte, veritati vim facimus, ne vinci vllo modo videamur,

mur. etiam ſapientibus cupido gloriæ nouiſsima exuitur. τὴν κενοδοξίαν ὡς τελευταῖον χιτῶνα ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι.

Bene eſt, quod ſe non excludit ex hominum numero. Cogitet igitur Expoſtulator, vtrum vero ſimilius ſit duci φιλαυτίᾳ, *eumne, qui in Calendario quidquid egit, nihil egit ſua ſponte, nihil ſolus, nihil temere, ſed iuſſu Pontificum ſummorum: in conſilio ſapientiſsimorum hominum: ſumma cum prudentia, & cautione, vt nihil dicam de homine ipſo, plane* ἱερῶν τὴν τέχνην καὶ τὰ ἤθη, *cuius perſpecta annis plurimis eſt in vrbe tanta rerum ſcientia, nihilominor moderatio; ac pietas: An eum, qui ſe ſe inferat, nullius iuſſu, aut hortatu, ad quem id pertineret? ſolus ſecum quædam commentus, non adeo bonis artibus impreſsit primum: mox etiam præcipitanter euulgauit: poſtremo, cum, ea ne refutarentur, metueret, nouum hoc famoſæ Expoſtulationis genus euomuit?*

At pertinuiſſe ad Clauium in eo, in quo conſtitutus eſt, reatu, recriminatione vti, id vero nemo iure dixerit. Ait enim lex, ait Canon. Neganda eſt accuſatis licentia criminandi, priuſquam ſe crimine, quo premuntur, exuerint, ſecundum ſcita veterum Iuris auctorum: ſed neque potuit is Doctor in re propria licentiam ſibi tribuere ſententiæ. Vetat enim Rubrica, Ne quis in ſua cauſa iudicet, vel ius ſibi dicat.

Non poteſt niſi prudentiſſimus vtroque in Iure videri, qui Canones, & rubricas ita opportune habet in promptu, ſed nolo ego ineptus eſſe in nugis.

Nulla tamen diuini, & humani Iuris habita ratione, Clauius calumniatur, vt meo nomini, & famæ apud ſummum Pontificem detrahat.

Vt diuini humanique Iuris ratio poſtulabat, ſine vlla contumelioſa Expoſtulatione, & calumnia, Calendarium Gregorianum, quod opere publico accuſare Vieta ſibi fas eſſe duxit, publica reſponſione Clauius putauit ſibi licere defendere. quæ lis non rubricis, & Canonibus, ſed Aſtronomico calculo decidenda fuit. Neque vero is eſt Clauius, qui de cuiuſquam nomine, ac fama quicquam velit detractum;

neque

neque is Pontifex, qui aures detrahentibus præbeat. Quo loco non cogitat Franciſcus Vieta, ſi à ſe vnquam accuſatus eſt Chriſtophorus Clauius, nunc accuſari Clementem viij. qui cum ſolus huic iudicio debeat præeſſe, ſinat Clauium per contemptum diuini humanique Iuris recriminatione vti; & in re propria licentiam ſibi tribuere ſententiæ.

Pluribus autem, quas ad plures conſcribit, literis ſignificat, ſe meum libellum plane refutaſſe in libro nouæ reſtitutionis Kalendarij aliquando, ſi Deo placuerit, in lucem emittẽdo.

Negat Clauius, à ſe literas hac de re vllas ad quempiam ſcriptas, niſi vnas ad Doctorem Adrianum Romanum, qui rogauerat, quid ei de Calendario Vietæ videretur. Neque crimen fuiſſet id ſcribere, à ſe factum, quod ſumma cum laude fecit in eo libro, qui (neſcio an Vietæ) ſed Deo tandem placebit, vt in lucem emittatur.

Quæ iſta contumelia eſt Claui, quæ inſolens, & vana iactantia? An ideo ſi conatus es, vt pro tuo Iure potes, meum libellum refutare, tu refutaſti? Prodeat conatus ille tuus, & ego volente Deo, eum infringam cras, atque hodie.

Bona verba Franciſce, non hæc in angulo loqueris, ſed omnium offers auribus atque oculis, quid putas de te exiſtimaturos homines, qui nouere Clauium? (qui autem non nouere?) dum te vident homini moderatiſſimo, & ſacerdoti, (retorquebo in te tua) tanta cum inſolentia, vanitate, iactantia, contumeliam dicere? Ille eius conatus prodibit, effringe tu vel hoc momento, ſi tantum potes; vel ſi non hodie, craſue potes, infringe perendie, alio, atque alio die, anno, ſeculo. Deum habebis volentem, ſi bonum quid voles.

Non is eſt ordo Iudiciorum, & proceſſus. Te falſum Mathematicum, ſi quidem Mathematicus es, demonſtraui; & falſum Theologum. Itaque quando te reum peragere conſilium eſt, dicenda tibi cauſa eſt iuxta formam Conſtitutionum, non loquendum ex plauſtro. Et ſi τεκμηρίοις meis te

conuinci neges,paralogiſmata mearum demonſtrationum coram Iudicibus, in quos conſenſum eſt, detegenda, & indicanda,priuſquam eorum iudicio abſoluaris. Ante vero abſolutionem nullius ſunt momenti ἀντικατηγορίαι ϗ ἀλαζονεῖαι tuæ.

Vter Theologus,ac Mathematicus falſus ſit, Vieta an Clauius,aliquanto apertius,luculentius,& humanius liber Explicationis Calendarij,quam hic Vieta demonſtrabit. Ex quo item manifeſte apparebit, quam abſurda ſint Vietæa τεκμήρια, quamque firmæ, cuiuſque momenti Clauij ſint rationes, quibus ea refutantur, Vter vero loquatur ex plauſtro, quin potius, ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν κατασχεδιάσῃ liberalis hæc Expoſtulatio loquitur. De Iudicibus,cauſæque dictione non addo verbum,ſententia ab idoneo Iudice feretur. cæterum & hominum genus totum Iudex eſto.

Et quæ te de libro nouæ reſtitutionis Calendarij noua ſollicitudo tenet, cum ſit is iam à me editus, qui vel à die diplomatis locum,vt par erat,& vim obtinet.

Vix duobus ab hinc annis editum Vietæum Calendarium eſt, diploma iam viginti. A die igitur diplomatis, Vietæ opus,id eſt, duo de viginti annis antequam eſſet,vim obtinuit. Quis neget locum habuiſſe antequam eſſet,quod poſtquam cæpit eſſe,nullum habet? ex eo genere rerum, quibus optimum eſt non naſci,proximum quam citiſſime aboleri.

Tua,quam meditaris,editio intempeſtiua eſt,& aſpernanda deinceps,vt falſa, & plagiaria. Falſitatem vel repetita dies arguet. Plagium meus liber,mea,inquam, relatio Calendarij vere Gregoriani firmamentis Theologicis, Politicis, & Aſtronomicis vndique muniti. Δὶς ϗ τρὶς τὰ καλά. Sed cum alienum ius præripere, tibi ſit animus, & conſilium, non tuum eſt,Claui, αὖθις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεῖν.

En hominem de ſe humaniter ſentiẽtem, cui meritò liceat φιλαυτίας

&

& ἀλαζονείαν notare alienam. In manifeſtis deprehenſus erroribus eſt Aſtronomicis, peruertit ritus, qui ad hanc diem in Eccleſia inde vſque ab antiquiſſimis temporibus viguere: contra pacem Reipublicæ aperte facit, & ait, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, vt ſcilicet qui vellent dicta dicere in eum, qui & Theologicas, & Politicas, & Aſtronomicas res peruerteret, haberent in proximo materiam, in locum quem male occupat λ, tantum κ, inſerto. De Plagio verò quid ait? Vere ne ſuſpicatur, Clauium ſibi præclara illa dogmata ſuffuratum? atqui illa, δὶς καὶ τρὶς καλά! Edet igitur Clauius in lucem, ſi non ſua, tamen bona. Verum cui ſano occurrat huiuſmodi plagij ſuſpicio, cum iam diu omnibus notiſſimum fuerit Clauium in Explicatione Calendarij Gregorij verſari, & plurimi norint, eam, priuſquam Vieta appareret, fuiſſe abſolutam, etiam tum fuiſſe edendam, niſi ipſe feciſſet, cur aliquid videretur in eius commendationem addendum: quin etiam illud docti iudicabunt, qui & Apologiam Clauij iam diu editam; & quæ inde Vieta in ſuum Calendarium tranſtulerit, facile animaduertent; vter, Clauiusne, an accuſator ſit plagij reus. Nam & æquationem Solis in quadringenteſimum annum, & æquationem Lunæ in annum trecenteſimum, cum cautione in vigintiquinque centenarijs adhibenda; Denique Epactarum Cyclum perpetuum, quem noſter Clauius primus in Calendario, quod Gregorius Pontifex emiſit, ex Lilij tabula expanſa coactum in ſummam, ac breue cõpendium contraxit, & in ſua contra Mæſtlinum defenſione, ac tandem in Explicatione Calendarij repetiuit; fortaſſe verè non ſuſpicioſe quis dixerit, è Clauiano fonte Vietam deriuaſſe ad irrigandum hortulum ſuum: cum omnia hæc Clauius Vieta prior in lucem ediderit. hoc vel repetita dies arguet. Nec vero cuiuſpiam Ius præripere fuit animus Clauio, aut conſilium, ſed Iure ſibi iuſſu Pontificis conceſſo Explicationem Calendarij ſuſcepit, atque perfecit. Quod ſi nihil peccaſſet Vieta, non tamen perſuadere ſibi deberet, fontem à ſe ingeniorum exhauſtum fuiſſe: quandoquidem multum ſuperfuit poſt Platonem Ariſtoteli, poſt Ariſtotelem alijs multis, nec minus in Mathematicis rebus numeroſa eſt præſtantium hominum virtus.

Odium autem Pontificium, quod vt in me concites, mala arte eniteris caue ſis, ne in te potius ſentias exacerbari. Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων, Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Veretur ne arte cuiuſpiam mala immerito ſit odio Pontifici, cui ipſemet

ipſemet fecerit, quare ei merito eſſe odio debeat. Etenim in cauſa Religionis, & publica, & in qua de ſuprema ſummi Pontificis agi auctoritate profitetur, id auſus eſt, vt dedita opera tentare Clementiam Pontificis viſus ſit; eiuſque in ſe odium iuſtiſſimum concitare, quod ne nunc quidem exacerbare ceſſat, dum Expoſtulationes huiuſmodi ſpargit. Audite æqui iudices, & conſiderate, quo pertineant, quæ ſubijcit.

Quid enim ſi proteſtantes veram anni rationem, quam ſyncere ex Gregorij mente retuli, amplectantur, eamque à ſe, non à ſummo Pontifice adgnoſcant?

Quærit quid ſit futurum, ſi Proteſtantes relatam à ſe anni rationem recipiant. facile eſt dicere: recipient, qui ſacroſanctum Chriſti Euangelium re vera non recipiunt, ſed Vieta, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. ὄφρα μὴ τ' ἀκίνηζα διὰ φρενῶν φράσαι. *Qui conuenit in tali negotio vllam facere talium mentionem? Clauio an Pontifici minitaris? fac boni aliquid inueneris, eò ne inueniſti, vt hoſtes armares? Non ſemper quamuis in bonum, quæ à bono fit, mutatio eſt laudabilis. Itaque quod elaborauerās, debuit a te ſupremo ſacrorum Antiſtiti offerri, vt is ſi videretur, quomodo, quando videretur, proferret: non autem repente in vulgus ea ratione emitti, vt impia Hæreticorum diſſidia enutrires. Quo tandem hæc verba nunc pertinent, nonne vt occaſioni imminentes omnia incendendi oblatæ à te facis admoneas? Sed illud eſt commodi, quod iſta fax plus habet fumi, quam lucis. Tu ſcilicet ſyncere anni ratione ex Gregorij mente retuliſti, qui Calendario Gregoriano omnino contrarium opponis tuum? Agnoſcant igitur quãtumuis à ſe Vietæam reſtitutionem Proteſtantes. Nam falſam, & Eccleſiæ aduerſariam ritibus, à Pontifice nemo poteſt agnoſcere. Quid tum tu? (nam te pium exiſtimo) nonne malles nullum tibi fuiſſe ingenium, quam id fuiſſe, quo pro nequiſſimis deſertoribus contra Dei Eccleſiam militares?*

Cui tam obſtinate falſam tuam, & præterea abſurdam, & prodigioſam tribuis, itaque auctoritatem defugiat, immò vero te falſum Procuratorem, & defenſorem is aliquando redarguat?

Vrget conſtanter, ne dicam, obſtinate propoſitum. Pergit Calendario

dario Greg., ſapientiſsimis Viris, qui cōfecere; iis qui conficiendo præfuere: Pōtificibus qui approbatū Eccleſiæ propoſuere. Principibus, ac Rebuſpublicis, & Populis omnibus, qui recepere, Clauij nomine maledicere. Enimuero periculum eſt, ne Pontifex recepto à Proteſtantibus Vietæ Calendario ab iis diſcat veros Eccleſiæ ritus, & Clauium veluti falſum Procuratorem, & defenſorem, tandem aliquando redarguat; tum ſcilicet, cum Calendarium à Proteſtantibus Petri ſucceſſor acceperit, & ab Hæreticis Chriſti Vicarius didicerit, quo Eccleſiam errantem corrigat. Prò Deus immortalis, nunquam id venerit in mentem Vietæ dicere, quamuis dicat.

Annum correxerat Iulius Cæſar, idemque Magnus Pontifex. Cum autem Iulianam anni ordinationem ſacerdotes exequerentur male, errorem ſuſtulit Auguſtus Cæſar, idemq. Magnus Pontifex. Quo nomine, non minor ei, quam Iulio deceſſori, gloria tributa eſt. Magna Magni Gregorij circa anni reſtitutionem gloria. Sed non minor Magni Clementis, cum te male feriatum computatorem, tuaſq; falſas periodos, & hypotheſes in conſtituendo anni principio legi diuinæ repugnantes, reiecerit, & legitimam diplomatis Gregoriani exequutionem Breui Apoſtolico edixerit. Etſi, ne id obtingat, os Pontifici ad tempus præſens oblinas, rebus ſerenis tenebras obducens, ϗ βαδίζων, ὡς ὄνος, εἰς ἄχυρα τραγημάτων: at te vnum exlegem, vt ad tuas calumnias redeam, nemo feret.

Non eſt, quòd inepta eruditione Romanis Pontificibus illudas. quæ, rogo, Magna Magni Gregorij circa anni reſtitutionem gloria, ſi corruptum Calēdarium auctoritate Pontificia promulgauit? Quo pacto non minor Magni Clementis, ſi ad præſens tempus oblini os ſibi à Clauio, & rebus ſerenis tenebras obduci in cauſa religionis; & publica; & Eccleſiā in errore patitur permanere, quoad Magiſtros habeat Proteſtantes? Eſt ſua, eſt vtrique Pontifici vere Magno, & aliunde multis modis, & hinc ſolida ſynceraque gloria. Gregorio, quod Calendarium reſtituit: Clementi, quod à te deſtrui non ſinit. Nam pro iniquiſſima contumelia, hoc tantum reſpondeo, & amice moneo. Vieta non rectam inſiſtis viam: apparet te eſſe commotum.

apparet

appar[illegible] eſſe intemperantem, præferocem, contemptor[illegible] quidem eruditi[illegible] es, noſti quam celebre ſit, εἴδωλον τοῦ βίου eſſe ſermonem. Quid oportuit huc ſcomma intrudere? An mihi, ſi ſales amem amariores, [illegible] te, qui ſpondes ægrotantem annum mox melius tua opera habiturum, auſpicium non commode ſuppeditet Ariſtophanæa auis? Sed ego malo te; poſtquam deferbuit impetus, nunc tandem à te ipſo reprehendi.

Tu niſi monitus reſipiſcas, crimina, quorum reus es, neceſſe habes diluere, & interea Cõſtitutionibus Ciuilibus parere.

Nemo eſt bene ſentientium, qui Clauium vllius reum criminis putet: quin potius ei debere ſe omnes multum profitentur, quod Calendarium Gregorianum explicat, & quæ in illud vel impie, vel temere obiecta ſunt crimina diluit prudenter, ac piè. Neque vlla eſt Conſtitutionum Ciuilium, neque vllus Canonum, cui non paruerit, nullum vnquam Pontificium diploma attrectauit; nullum ſine Pontificia auctoritate de rebus ad Religionem ſpectantibus librum euulgauit: nihil denique eorum vnquam cogitauit, quæ Vieta, poſtquam fecit, ἐκτραγῳδίζει, & minitatur etiam ijs, quibus minime deberet.

Sed vos obteſtor, Venerandi Patres, & Antiſtites è Societate Ieſu, veſtra in veſtrum collegam auctoritate de eo inquirite, cauſaque cognita, ἢ χαμᾶθεν, ἢ πρὸ βήματος, Omnino pertinaciæ ſuæ, & liuori obſiſtite, ne cum ſuis falſis, & infelicibus Apologeticis de Apoſtolica Sede quàm male meritus, is ſolus in cauſa ſit inveſtri Collegij contumeliam, & opprobrium, cur ab omnibus gentibus, quæ Romano Kalendario ſolebant vti, idem feliciſsimis Gregorij xiij. auſpicijs reſtitutum non recipiatur. Sit ſane κενόδοξος ἐν ταῖς ἀδιαφόραις, ſed eſto ὀρθόδοξος ἐν ταῖς ἱεραῖς καὶ ὁσίαις.

Pro commonitione, & obteſtatione hac, equidem credo Patres, & Antiſtites è Societate Ieſu, vt ſunt viri optimi, gratiam habere monitori: mihi tamen, qui rem interpretor, vt eſt, non obteſtatio hæc videtur, ſed contumelia. Quid ait Vieta? quid opus hac obteſtatione fuit? putaſti ne fore, vt viri prudentes, ac Religioſi, plus crederent ſuſurris

ris tuis ; quam oculis ſuis ? Tu numquam opinor
Sunt autem ſocij permulti, cũ quibus annos plurimo.
diligentes, atq. vigilãtes, qui eius vitæ, ac moribus præſu.
quã vllũ in eo ex ijs, quæ tu vociferare, criminibus notauit.
do ὀρθόδοξον ἐν ταῖς ἱεραῖς, καὶ ὁσίαις nouerunt, ſed etiã hominẽ ἐν ταῖς φόραις διαφέροντα ἀφιλόδοξον admirati ſunt. Tu igitur plus omnibus vidiſti ? Quid minus occultari poteſt, quàm κενοδοξία, ἀλαζονεία, pertinacia, liuor ? vel tua hæc Expoſtulatio legatur. Et tamen Clauius, vt ait, Gregorium olim decepit ; nunc Clementi os oblinit, in liuore ac pertinacia perſiſtit, neque vllus vnquam, tam grauia crimina, tam patentia, & publica, nec familiarium, nec ſociorum, nec Antiſtitum, nec omnino quiſquam bonorum animaduertit, niſi tu trans alpes longe ſitus : ac ne tu quidem, niſi poſtquam Clauius cepit Calendarium tuum confutare. Cui igitur bene hæc à te dicta, viſaque probabis, dignus eſt, cui etiam Calendarium tuum probes. Bene uero an male ſuis Apologeticis Clauius de Apoſtolica ſede ſit meritus, quis hominum ignorat ? Quosnam illi Apologetici hominum male habent, niſi hæreticos, & Vietam ?

Diſſidium in anni ratione quantas turbas ciet, & moleſtias in rerum commercijs per celebriores Nundinas, & nobiliora quæque emporia ? At fouet præterea diſſenſionem animorum in controuerſis, quæ ad Religionẽ ſpectant, capitibus.

Vera narras, ſed hoc diſſidium, quinam induxere, ac fouent, niſi hæretici, vt quantum poſſint ritibus Catholicis, ac Romano Pont. aduerſentur ? Te vero miror Vieta, quod te idoneum exiſtimaris, in hoc vlcere, vt ille ait, quaſi vnguis exiſteres, & quæ paulatim cicatricem obducebant, reſcinderes.

Dematur autem fucus omnis, & cedat nudę veritatis vi faſtus, & liuor; Epactarum æquationi, & ordinationi falſæ, & profanæ, & præterea abſurdæ, & prodigioſæ ſubſtituatur iuſta, pia, & omnibus abſurditatibus, & prodigijs libera; ac denique, vt ex verbis diplomatis, & ſyncera eorundem interpretatione conſtat, verè Liliana, ac Gregoriana.

Ita plane ſit, cedat veritati faſtus, & liuor; cedat Pontificia.

Flori

...andi:cedant Calendario, q... ...egorius cum ...us, videnſque promulgauit, quæ... ...que inſinuant ...tificibus inſciјs, falſiſque ex titulis ... ...itatem inſi-...pantur. Sit anni ratio Liliana, quam Lilius, ſit Vietana, ... Vieta propoſuit; & hanc, nempe illi, quæ vera, commoda, Cano-...bus, Patribus, Gregoriano diplomati congruentiſsima eſt; contra-riam, legitima quam primum auctoritas opprimat.

Nullus apparebit in orbe Aſtronomus, nullus in verba perito-rum in arte iurans, qui admirandam Gregorianam anni re-ſtitutionem non admirabitur, & ſi forte à Sancta Romana Eccleſia deuius, eidem ſtatim ſeſe inſinuare non ſtudeat ἀμφασίῃ κραδίην ἀμφιχυθεὶς μεγάλῃ. Hoc ipſum eſt, quod omnes pij habent in votis, Venerandi Patres, & Antiſtites.

Hoc ipſum eſt, quod omnes re uera pij habent in votis, ac ſperamus magna ex parte fore, cum ex conatibus irritis Vietæ Calendarij Gre-goriani ſoliditas magis apparuerit, planumque omnibus factum fue-rit, quam multis noua illius inuentio ſcateat erroribus, quod omnes aperte ex libro Explicationis Calendarij intelligent.

Tanto Reipublicæ Chriſtianæ bono, qui obſuerint ope, con-ſilio, dolo malo, ſacri & inteſtabiles ſunto & à felici pio-rum conſeſſu extorres arceantor.

De voce (extorres) *habeo, quod ſuſpicer. Sed nihil niſi tuam execrationem proſequar. Qui Pontificijs iuſſis obſtiterint: Qui di-plomatibus Pontificijs alia ſubiecerint, quam quæ Pontifices volue-re: Qui vllo pacto ſtudio rerum nouarum bene habentia moliri auſi fuerint: Qui denique ope, conſilio, dolo malo Reipublicæ Chriſtianæ bono obſuerint, ij anathema ſunto.*

F I N I S.

1134.13

99 962034